

scrisse quella honorata letera, è passata per questo nostro canal con vele zercha 160, et ne mandò letere dil Turcho, domandando la nostra bona amicitia, et è passata in Constantinopoli, senza far alcuna lesione. Et a li 6 dil presente è passata per questo canal l'armata de Curtogoli con cercha vele 32, tutte cariche a marteletto. El Turcho si è partito dal Cayro. Dicono haver lassato suo locotenente el signor che fu di Aleppo, che tradi el Soldan, et lui se ne viene a la volta de Constantinopoli. Sono venuti più homeni, quali sono stati nel campo dil Turcho. Reforiscono la poca potentia era rimasta al Turcho nel Cayro, et li populi esser in superlativo grado malcontenti; et el simele la sua gente d'arme per la grande avaritia regna in lui. Del Sophi si dice assae, non si vede alcuna experientia.

*Ex Rhodo die 9 Octubris 1517.*

52<sup>1)</sup> *Proposita et tractata in consultationibus sanctæ expeditionis que ad principes mittenda visa sunt, eorum quoque prudentia et consilio examinanda, si quid addendum, minuendum, corrigendumque videatur.*

In Dei nomine amen. Quia magnis rebus administrandis recta consilia antecedere oportet, et prius consulto opus est: mox ubi consulueris mature facto: idcirco consultationes habitas de maxima et maxime necessaria expeditione contra Turcos, quibusdam capitulis ordine subiectis explicavimus. Ac primum.

An hoc bellum sit suscipiendum?

Si suscipiendum, defensivum ne an offensivum?

Quæ belli susceptionem impedire posse videantur et quomodo ea demovenda?

An bellum susceptum per omnes christianos princeps gerendum, an per aliquos tantum et per quos aut quos?

Quanto apparatu bellum hoc restringi et geri conveniat: ac de rebus ad hujusmodi apparatus necessariis.

Primo: de reconciliando Deo.

Secundo: de pecuniis.

Tertio: de copiis militaribus.

Quo ad pecunias, quomodo cogendæ quæ salis esse possint, et per quos custodiendæ ac deputandæ.

Quo ad militares copias, ex quibus potissimum nationibus et quem ad numerum tam pedestrem quam equestrem assumendæ sunt et hæc ad belli apparatus pertineant.

(1) La carta 51<sup>1)</sup> è bianca.

Ad consultationem vero et administrationem belli gerendi: primo, qua via eundum sit adversus hostes, terra ne an mari an utroque modo.

Secundo, an diviso in partes exercitu et terre stri et maritimo, an viribus in unum coactis.

Tertio, quo itinere et terra milites ducendi et mari traiciendi.

Quarto, ubi convenire in unum exercitus, et quæ primum aut potissimum loca hostium debeat invadere.

Quinto, quæ providenda ut commeatus necessari nostris exercitibus suppeditentur.

Erunt et alia duo extrinsecus ad hujus belli rationem vel necessaria vel utilia.

Primo, ea quæ hoc bello acquirentur, si Deus effuerit, quomodo inter christianos principes et quorum iuditio dividenda, et ante ne bellum, an post ut causæ litium removeantur.

Alterum, an aliquis infidelium principum sibi metuens et suspectum habens Turcæ potentiam, sit ad hujus belli partem capescendam ex suo latere per nos incitandus.

Præmisimus capita rerum quæ in consultationem veniunt per ordinem: nunc singulis, eodem ordine explicandis, nostram sententiam accomodabimus.

#### *Primum. An hoc bellum sit suscipiendum.*

Hoc non videtur cadere in consultationem; non enim jam est in potestate nostra, cum noster eterinus et idem potentissimus hostis, maximos apparatus fecerit faciatquæ ad nos et statu et fortunis et vita ipsa exturbandos ac spoliandos, palamque jactet valde ferociter se orientem modo subegisse nunc, statim ad occidentem arma convertere, nec 52<sup>1)</sup> sit nisi universa christianitate capta, ullo modo quieturus, ut nos aut dare illi gratis nostrum sanguinem aut ferro cum eo decernere oporteat. Nullum igitur habet locum consultatio ubi intervenit necessitas.

#### *Secundum. Suscipiendum ne bellum offensivum an defensivum.*

Nec hoc quidem valde dubitandum est, quin longe melior sit conditio inferentis bellum quam propulsantis, primo quia aggredi ultro hostem maioris est et animi et auctoritatis quam illius impetum expectare; cum etiam adversarii animus eo magis minuatur quo magis eum audere videret, contra quem decertaturus est. Deinde, si quid debile aut infidum